



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1663

S. Alexius Conf. 17. Iulii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41940

Iulii.
edem
uan-
nis,
pro
lith-
ulii-
orar-
ue-
ta-
in-
ge-
nti-
tie-
nas
um
ti-
s.
x
m
a-
-
n-
i-
17. Iulii. VITÆ SANCTORUM. 447
geret? Emersit more suo; & cælum in-
gratis civibus aquas & cum his segetem
negavit, dum VITALIANUM revocarent.
Una igitur VITALIANUS & imber è cælo
missi exceptique. Sed ille non fidens ho-
noribus, Deiparæ Templum struxit, vi-
vensque in hoc privatus invidiam subVir-
ginis pallio impunè jam risit. Ex Ferrario.

Anima, quæ amat, ascendit frequenter &
currit familiariter per plateas cælestis Ieru-
salem, visitando Patriarchas & Prophetas,
salutando Apostolos, admirando exercitus
Martyrum & Confessorum, chorosque Vir-
ginum speculando. S. Aug. Man. c. 24.

S. ALEXIUS CONF. 17. Iulii.

Theatrum est Orbis, in quo sæpius
malè multi divitem, sed bene paupe-
rem egit ALEXIUS. Patrem Romæ ha-
buit Euphemianum senatorii Ordinis,
Sponsam Regii sanguinis. Sed quâ nocte
Hymenæus pedem thalamo inferebat,
sponsum non reperit. Nempe noctis be-
neficio elapsus Edessam aufugit, ibique
inter mendicabula tam diu latuit, dum
ab effigie Deiparæ, ad cuius templum
assiduus excubabat, est proditus. Tunc
Romam rediit, & (quis credat?) in pa-
triâ domo felicius personam dissimula-
vit. Hic cum è tantâ hereditate vix ulti-
mum angulum ædiutum impetrasset, risit
scilicet, cum domi se agentem quæri in
alio-

448 VITÆ SANCTORUM. 18. *Iulii.*
alieno orbe videret, cùm parentes se orbos, sponsa viduam se lamentaretur, cùm utriusque præsentem inclamarent, vivum lugerent. Spectabat interim siccus suorum lacrymas, vivus suas exequias; appellabat patrem matremque, nec filius audiebat; basiabat servorum suorum manus & ab his servilia multa patiebatur, jam pugnis contusus, jam sordibus perfusus. Sed demum mors siparium reduxit. Vox etenim humanâ major Romanum & Pont. & Imp. ad demortuum excivit. Ibi ALEXIUM prodiderunt vultus astro similis & literæ in manibus reperitæ, quibus ipse fabulæ totius argumentum descripsérat. Et placuisse fabulam Cælum ostendit, cùm miraculis applauſit, toties plausus repetitum, quoties fabulam juventus. *Ex Metaphr.*

Vis obtinere cælum, quod perdidit superbiens angelus, qui confisus est in virtute sua, & in multitudine divitiarum suarum? Paupertatis vilitatem amplectere; & tuum erit. S. Bern. serm. i. de Omnib. SS.

S.SYMPHOROSACUM VII. FF. MM.
18. *Iulii.*

R Eliquit Getulius Mart. post se conjugem SYMPHOROSAM & VII. filios. Bonum factum! è tantâ familiâ neminem reperias degenerem. Scires illam Martyris uxorem, hos filios esse, qui